KJA1062
.2
1856

FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON

JUS ANTEJUSTINIANEUM.

BIBLIOTECA PUBLICA DE NUEVO LEON

DOMITII ULPIANI

FRAGMENTA LIBRI REGULARUM SINGULARIS;

VULGO TITULI EX CORPORE ULPIANI.

(DE LEGIBUS ET MORIBUS.)

1.... prohibet, exceptis quibusdam cognatis, et si plus donatum sit, non rescindit. — 2. Minus quam perfecta lex est, quæ vetat aliquid fieri, et si factum sit, non rescindit; sed pœnam injungit ei qui contra legem fecit: qualis est lex Furia testamentaria, quæ plus quam mille assium legatum mortisve causa prohibet capere, præter exceptas personas; et adversus eum qui plus ceperit, quadrupli pœnam constituit. — 3. Lex aut rogatur, id est, fertur; aut abrogatur, id est, prior lex tollitur; aut derogatur, id est, pars primæ *legis* tollitur; aut subrogatur, id est, adjicitur aliquid primæ legi; aut obrogatur, id est, mutatur aliquid ex prima lege.

4. Mores sunt tacitus consensus populi longa consuetudine inveteratus.

TIT. I.

DE LIBERTIS.

5. Libertorum genera sunt tria, cives romani, latini juniani, deditiorum numero. — 6. Cives romani sunt liberti qui legitime *vindicta*, censu aut testamento, nullo jure impediente, *manumissi sunt*. — 7. Vindicta manumittuntur apud magistratum, præsidemve, velut consulem, proconsulem. — 8. Censu manumittebantur olim, qui lustrali censu Romæ jussu dominorum inter cives romanos censum profitebantur. — 9. Ut testamento manumissi liberi sint, lex duodecim tabularum facit, quæ confirmat... — 10. Hodie autem ipso jure liberi sunt ex lege Junia, qua lege latini sunt nominati inter amicos manumissi. — 11. Deditiorum numero sunt, qui pœnæ causa vincti sunt a domino, quibusve stigmata[1] scripta fuerunt, qui propter noxam torti nocentesque inventi sunt, quive traditi sunt ut ferro aut cum bestiis depugnarent, vel *in* custodiam conjecti fuerunt, deinde quoquo modo manumissi sint: idque lex Ælia Sentia facit. — 12. Eadem lege cautum est, ut minor triginta annorum servus vindicta manumissus civis romanus non fiat, nisi apud consilium causa probata fuerit: ideo sine consilio manumissum [Cæsaris] servum manere putat. Testamento vero manumissum perinde haberi jubet, atque si domini voluntate in libertate esset, ideoque latinus fit. — 13. Eadem lex eum dominum qui minor viginti annorum est, prohibet servum manumittere, præterquam si causam apud consilium probaverit. In consilio autem adhibentur, Romæ quinque senatores et quinque equites romani; in provincia viginti recuperatores, cives romani. — 14. Ab eo domino qui solvendo non est, servus testamento liber esse jussus et heres institutus, etsi minor sit triginta annis, vel in ea causa sit ut dedititius fieri debeat, civis romanus et heres fit, si tamen alius ex eo testamento nemo heres sit. Quod si duo pluresve liberi heredesque esse jussi sunt, primo loco scriptus liber et heres fit: quod et ipsum lex Ælia Sentia facit. — 15. Eadem lex in fraudem creditoris et patroni manumittere prohibet. — 16. Qui tantum in bonis, non etiam ex jure quiritium servum habet, manumittendo latinum facit. In bonis tantum alicujus servus est, velut hoc modo: si civis romanus a cive romano servum emerit, isque traditus ei sit, neque tamen mançipatus ei, neque in jure cessus, neque ab ipso anno possessus sit; nam quamdiu horum quid fiat, is servus in bonis quidem emptoris est, ex jure quiritium autem venditoris est[2]. — 17. Mulier quæ in tutela est, item pupillus et pupilla manumittere non possunt. — 18. Communem servum unus ex dominis manumittendo partem suam amittit, eaque aderescit socio: maxime si eo modo manumiserit, quo, si proprium haberet, civem romanum facturus esset; nam si inter amicos eum manumiserit, plerisque placet eum nihil egisse. — 19. Servus in quo alterius est ususfructus, alterius proprietas, a proprietatis domino manumissus liber non fit, sed servus sine domino est. — 20. Post mortem heredis aut ante institutionem[1] heredis testamento libertas dari non potest, excepto testamento militis. — 21. Inter medias heredum institutiones libertas data, utrisque adeuntibus, non valet: solo autem priore adeunte, jure antiquo valet. Sed post legem Papiam Poppæam quæ partem non adeuntis caducam facit, siquidem primus heres vel jus antiquum habeat, valere[2] eam posse placuit; quod si non habeat, non valere constat, quod loco non adeuntis legatarii patres heredes fiunt. Sunt tamen, qui et hoc casu valere [ejus] eam posse dicunt. — 22. Qui testamento liber esse jussus est, mox quam vel unus[3] ex heredibus adierit hereditatem, liber fit. — 23. Justa libertas testamento potest dari his servis, qui testamenti faciendi et mortis tempore ex jure[4] quiritium testatoris fuerunt. — 24. Lex Furia Caninia jubet testamento ex tribus servis non plures quam duos manumitti; et usque ad decem, dimidiam partem manumittere concedit; a decem usque ad triginta, tertiam partem, ut tamen adhuc quinque manumittere liceat, æque ut ex priori numero; a triginta usque ad centum, quartam partem, æque ut decem ex superiori numero liberari possint; a centum usque ad quingentos, partem quintam, similiter ut ex antecedenti numero viginti quinque possint fieri liberi. Et denique præcipit, ne plures omnino quam centum ex cujusquam testamento liberi fiant. — 25. Eadem lex cavet, ut libertates servis testamento nominatim dentur.

1. *Cod.* Vertigia. — 2. *Cod.* et jus quiritium aut venditoris est.

TIT. II.

DE [STATU LIBERUM VEL] STATU LIBERIS.

1. Qui sub conditione testamento liber esse jussus est, statu liber appellatur. — 2. Statu liber, quamdiu pendet conditio, servus heredis *est*. — 3. Statu liber, seu alienetur ab herede, sive usucapiatur[5] ab aliquo, libertatis conditionem secum trahit. — 4. Sub hac conditione liber esse jussus, si decem millia heredi dederit, et si ab herede abalienatus sit, emptori dando pecuniam ad libertatem pervenit: idque lex duodecim tabularum jubet. — 5. Si per heredem factum sit, quo minus statu liber conditioni pareat, perinde fit liber atque si conditio expleta fuisset. — 6. Extraneo pecuniam dare jussus et liber esse[6], si paratus sit dare, et is cui jussus est dare, aut nollet accipere, aut antequam acceperit moriatur, perinde fit liber ac si pecuniam dedisset. — 7. Libertas et directa potest dari hoc modo, LIBER ESTO, LIBER SIT, LIBERUM ESSE JUBEO; et per fideicommissum, ut puta, ROGO, FIDEI COMMITTO HEREDIS MEI UT ISTE EUM SERVUM MANUMITTAT[7]. — 8. Is quis directo liber esse jussus est, orcinus fit libertus; is autem cui per fideicommissum data est libertas, non testatoris sed manumissoris fit libertus. — 9. Cujus fidei committi potest ad rem aliquam præstandam, ejusdem etiam libertas fidei committi potest. — 10. Per fideicommissum libertas dari potest tam proprio servo testatoris, quam heredis aut legatarii vel cujuslibet extranei servo. — 11. Alieno servo per fideicommissum data libertate, si dominus eum justo pretio non vendat, extinguitur libertas, quoniam nec pretii computatio pro libertate fieri potest. — 12. Libertas sicut dari, ita et adimi, tam testamento quam codicillis testamento confirmatis, potest: ut tamen eodem modo adimatur, quo et data est.

1. *Cod.* INSTRUCTIONEM. — 2. *Cod.* VIDERE. — 3. *Cod.* MOX QUAMVIS UNUS. — 4 *Cod.* ET JUS — 5. *Cod.* SUSCIPIATUR. — 6. *Cod.* UT LIBER ESSET. — 7. *Cod.* MANUMITTATIS.

TIT. III.

DE LATINIS.

1 Latini jus quiritium consequuntur his modis: beneficio principali, liberis, iteratione, militia, nave, ædificio, pistrino; præterea ex senatusconsulto, vulgo quæsitum ter enixa[1]. — 2. Beneficio principali latinus civitatem romanam accipit, si ab imperatore jus quiritium impetraverit. — 3. Liberis jus quiritium consequitur latinus, qui minor triginta annorum manumissionis tempore fuit. Nam lege Junia cautum est, ut si civem romanam vel latinam uxorem duxerit, testatione interposita quod liberorum quærendorum causa uxorem duxerit, postea filio filiave nato natave et anniculo facto, possit apud prætorem vel præsidem provinciæ causam probare et fieri civis romanus[2], tam ipse quam filius filiave ejus et uxor: scilicet, si et ipsa latina sit; nam si uxor civis romana sit, partus quoque civis romanus est, ex senatusconsulto quod auctore divo Hadriano factum est. — 4. Iteratione fit civis romanus, qui post latinitatem, quam acceperat major triginta annorum, iterum juste manumissus est ab eo cujus ex jure quiritium servus fuit. Sed huic concessum est, ut ex senatusconsulto, etiam liberis jus quiritium consequi. — 5. Militia jus quiritium accipit latinus, *si* inter vigiles Romæ sex annis militaverit, ex *lege* Visillia. Præterea ex senatusconsulto concessum est ei, ut, si triennio inter vigiles militaverit, jus quiritium consequatur. — 6. Nave latinus civitatem romanam accipit, si non minorem quam decem millia modiorum navem fabricaverit, et Romam sex annis frumentum portaverit, ex edicto divi Claudii.

TIT. IV.

DE HIS QUI SUI JURIS SUNT.

1. Sui juris sunt familiarum suarum principes, id est, paterfamiliæ, itemque materfamiliæ. — 2. Qui matre quidem *certa*, patre autem incerto nati sunt, spurii appellantur.

TIT. V.

DE HIS QUI IN POTESTATE SUNT.

1. In potestate sunt liberi parentum, ex justo matrimonio nati. — 2. Justum matrimonium est, si inter eos qui nuptias contrahunt, connubium sit; et tam masculus pubes, quam femina potens sit; et utrique consentiant, si sui juri sunt, aut etiam parentes eorum, si in potestate sunt. — 3. Connubium est uxoris jure ducendæ facultas. — 4. Connubium habent cives romani cum civibus romanis; cum latinis autem et peregrinis, ita si concessum sit. — 5. Cum servis nullum est connubium. — 6. Inter parentes et liberos infinite cujuscumque gradus connubium non est. Inter cognatos autem ex transverso gradu, olim quidem usque ad quartum gradum matrimonia contrahi non poterant. Nunc autem etiam ex tertio gradu licet uxorem ducere; sed tantum fratris filiam, non etiam sororis filiam aut amitam vel materteram[3], quamvis eodem gradu sit. Uxorem eam, quæ[4] noverca vel privigna vel nurus vel socrus nostra fuit, ducere non possumus. — 7. Si quis eam quam non licet uxorem duxerit, incestum matrimonium contrahit, ideoque liberi in potestate ejus non fiunt; sed, quasi vulgo concepti, spurii sunt. — 8. Connubio interveniente liberi semper patrem sequuntur, non interveniente connubio matris conditioni accedunt. excepto eo qui ex peregrino et cive romana peregrinus nascitur, quoniam lex Mensia ex alterutro peregrino natum deterioris parentis conditionem sequi jubet. — 9. Ex cive romano et latina latinus nascitur, et ex libero et ancilla servus; quoniam, cum his casibus connubia non sint, partus sequitur matrem. — 10. In his qui jure contracto matrimonio nascuntur, conceptionis tempus spectatur[5]; in his autem qui non legitime concipiuntur, editionis: veluti si ancilla conceperit, deinde manumissa pariat, liberum parit; nam quoniam non legitime concepit, cum editionis tempore libera sit, partus quoque liber est.

TIT. VI.

DE DOTIBUS.

1. Dos aut datur, aut dicitur, aut promittitur. — 2. Dotem dicere potest mulier quæ nuptura est, et debitor mulieris, si jussu ejus dicat institutus, parens mulieris virilis sexus per virilem sexum cognatione junctus, velut pater, avus paternus. Dare, promittere dotem omnes possunt. — 3. Dos aut profectitia dicitur, id est, quam pater mulieris dedit; aut adventitia, id est, ea quæ a quovis alio data est. — 4. Mortua in matrimonio muliere, dos a patre profecta ad patrem revertitur, quintis in singulos liberos in infinitum relictis penes virum. Quod si pater non sit, apud maritum remanet. — 5. Adventitia autem dos semper penes maritum remanet præterquam si is qui dedit, ut sibi redderetur stipulatus fuerit: quæ dos specialiter receptitia dicitur. — 6. Divortio facto, siquidem sui juris sit mulier, ipsa habet *rei uxoriæ* actionem, id est, dotis repetitionem. Quod si in potestate patris sit, pater adjuncta filiæ persona habet actionem [revera]: nec interest, adventitia sit dos, an profectitia. — 7. Post divortium defuncta muliere, heredi ejus actio non aliter datur quam si moram in dote mulieri reddenda maritus fecerit. — 8. Dos si pondere, numero, mensura contineatur, annua, bima, trima die redditur; nisi si, ut præsens reddatur, convenerit. Reliquæ dotes statim redduntur. — 9. Retentiones ex dote fiunt, *aut propter liberos*, aut propter mores, aut propter impensas, aut propter res donatas, aut propter res amotas. — 10. Propter liberos retentio fit, si culpa mulieris, aut patris cujus in potestate est, divortium factum sit. Tunc enim singulorum liberorum nomine sextæ retinentur ex dote; non plures tamen quam tres sextæ in retentione sunt, non in petitione[1]. — 11. Dos quæ semel functa est, amplius fungi non potest, nisi aliud matrimonium sit. — 12. Morum nomine, graviorum quidem sexta retinetur; leviorum autem, octava. Graviores mores sunt adulteria tantum, leviores omnes reliqui. — 13. Mariti mores puniuntur, in ea quidem dote quæ a die reddi debet, ita: propter majores mores præsentem reddit[2]; propter minores senum mensum die. In ea autem quæ præsens reddi solet, tantum ex fructibus jubetur reddere, quantum in illa dote quæ triennio[3] redditur, repræsentatio facit. — 14. Impensarum species sunt tres: aut enim necessariæ dicuntur, aut utiles, aut voluptuosæ. — 15. Necessariæ sunt impensæ, quibus non factis dos deterior futura esset, velut si quis ruinosas ædes refecerit. — 16. Utiles sunt, quibus non factis quidem deterior dos non fieret, factis autem fructuosior effecta est, veluti si vineta et oliveta fecerit. — 17. Voluptuosæ sunt, quibus neque omissis deterior dos fieret, neque factis fructuosior effecta est: quod evenit in viridariis et picturis similibusque rebus.

TIT. VII.

DE JURE DONATIONUM INTER VIRUM ET UXOREM.

1. Inter virum et uxorem donatio non valet, nisi certis ex causis, id est, mortis causa, divortii causa, servi manumittendi gratia. Hoc amplius principalibus constitutionibus concessum est mulieri in hoc donare viro suo, ut is ab imperatore lato clavo vel equo publico similive honore honoretur. — 2. Si maritus divortii causa res moverit, rerum quoque amotarum actione tenebitur. — 3. Si maritus pro muliere se obligaverit vel in rem ejus impenderit, divortio facto, eo nomine cavere sibi solet stipulatione tribunitia. — 4. In potestate parentum sunt etiam hi liberi quorum causa probata est, per errorem contracto matrimonio inter disparis conditionis personas[4]: nam seu civis romanus latinam aut peregrinam, vel eam quæ dedititiorum numero est, quasi per ignorantiam uxorem duxerit, sive civis romana per errorem peregrino, vel ei qui dedititiorum numero est, aut etiam si latino ex lege Ælia Sentia nupta fuerit, causa probata, civitas redditur tam liberis quam parentibus, præter eos qui dedititiorum numero sunt. Et ex eo fiunt in potestate parentum liberi.

TIT. VIII.

DE ADOPTIONIBUS.

1. Non tantum naturales liberi in potestate parentum sunt, sed etiam adoptivi. — 2. Adoptio fit aut per populum, aut per prætorem vel præsidem provinciæ. Illa adoptio quæ per populum fit, specialiter adrogatio dicitur. — 3. Per populum, qui sui juris sunt, adrogantur: per prætorem autem filiifamiliæ a parentibus dantur in adoptionem. — 4. Adrogatio Romæ tantum fit; adoptio autem, etiam in provincia apud præsidem. — 5. Per prætorem vel præsidem provinciæ adoptari tam masculi quam feminæ, et tam puberes quam impuberes possunt. Per populum vero romanum feminæ quidem non adrogantur. Pupilli antea quidem non poterant

1 *Cod.* vulgo QUÆ SIT ter ENIXA — 2. Sic vulgo. *Cod. et Hugo*: CIVEM ROMANUM. — 3. *Cod.* Sed TAMEN fratris FILIA ... FILIA AUT AMITA vel MATERTERA. — 4. *Cod.* SADEMQUE UXORE NOVERCA etc. — 5. *Cod.* Conceptionis TEMPORE EXCEPTATUR.

1. PAULUS, LIB. 2, INSTITUT., TIT. DE DOTIBUS: Si divortium est matrimonii, et hoc sine culpa mulieris factum est, dos repetetur. Quod si culpa mulieris factum est divortium, in singulos liberos sexta pars dotis a marito retinetur usque ad mediam duntaxat partem dotis. — 2. *Cod.* præsentem DOTEM REDDAT. — 3. *Cod.* dote QUADRIENNIO. — 4. *Cod.* DISPARES CONDITIONIS PERSONARUM.

adrogari; nunc autem possunt ex constitutione divi Antonini. — 6. Hi qui generare non possunt, velut spado, utroque modo possunt adoptare. Idem juris est in persona cœlibe. — 7. Item is qui filium non habet, in locum nepotis adoptare potest. — 8. Si paterfamiliæ adrogandum se dederit, liberi quoque ejus, quasi nepotes, in potestate fiunt adrogatoris. — 9. Feminæ vero neutro modo possunt adoptare, quoniam nec naturales liberos in potestate habent.

TIT. IX.

DE HIS QUI IN MANU SUNT.

1. Farreo convenit[1] *uxor* in manum certis verbis, et testibus decem præsentibus, et solemni sacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur.

TIT. X.

QUI IN POTESTATE MANCIPIOVE SUNT, QUEMADMODUM EO JURE LIBERENTUR.

Liberi parentum potestate liberantur emancipatione, id est, si posteaquam mancipati fuerint, manumissi sint. Sed filius quidem ter mancipatus, ter manumissus sui juris fit; id enim lex duodecim tabularum jubet his verbis: SI PATER FILIUM TER VENUMDAVIT, FILIUS A PATRE LIBER ESTO. Ceteri autem liberi præter filium, tam masculi quam feminæ, una mancipatione manumissioneque sui juris fiunt. — 2. Morte patris filius et filia sui juris fiunt; morte autem avi nepotes ita demum sui juris fiunt, si post mortem avi in potestate patris futuri non sunt: velut si moriente avo pater eorum aut etiam decessit, aut de potestate dimissus est; nam si mortis avi tempore pater eorum in potestate ejus sit, mortuo avo in patris sui potestate fiunt. — 3. Si patri vel filio aqua et igni interdictum sit, patria potestas tollitur, quia peregrinus fit is cui aqua et igni interdictum est, neque autem peregrinus civem romanum neque civis peregrinum in potestate habere potest. — 4. Si pater ab hostibus captus sit, quamvis servus hostium fiat, tamen cum reversus fuerit, omnia pristina jura recipit jure postliminii. Sed quamdiu apud hostes est, patria potestas in filio ejus interim pendebit; et cum reversus fuerit ab hostibus, in potestate filium habebit. Si vero ibi decesserit, sui juris filius erit. Filius quoque si captus fuerit ab hostibus, similiter propter jus postliminii patria potestas interim pendebit. — 5. In potestate parentum esse desinunt et hi qui flamines divales inaugurantur, et quæ virgines Vestæ capiuntur.

TIT. XI.

DE TUTELIS.

1. Tutores constituuntur tam masculis quam feminis: sed masculis quidem impuberibus duntaxat, propter ætatis infirmitatem: feminis autem *tam* impuberibus quam puberibus, et propter sexus infirmitatem, et propter forensium rerum ignorantiam. — 2. Tutores aut legitimi sunt, aut senatusconsultis constituti, aut moribus introducti. — 3. Legitimi tutores sunt, *qui* ex lege aliqua descendunt: per eminentiam autem legitimi dicuntur, qui ex lege duodecim tabularum introducuntur, seu propalam, quales sunt adgnati, seu per consequentiam, quales sunt patroni. — 4. Adgnati sunt a patre cognati, virilis sexus, per virilem sexum descendentes, ejusdem familiæ: veluti patrui, fratres, filii fratris, patrueles. — 5. Qui liberum caput mancipatum sibi, vel a parente vel a coemptionatore, manumisit, per similitudinem patroni tutor efficitur, qui fiduciarius tutor appellatur. — 6. Legitimi tutores alii tutelam in jure cedere possunt. — 7. Is cui tutela in jure cessa est, cessicus tutor appellatur: qui sive mortuus fuerit, sive capite minutus, sive alii tutelam [porro] cesserit, redit ad legitimum tutorem tutela. Sed et si legitimus decesserit, aut capite minutus fuerit, cessitia quoque tutela extinguitur. — 8. Quantum ad adgnatos pertinet, hodie cessitia tutela non procedit: quoniam permissum erat in jure cedere tutelam feminarum tantum, non etiam masculorum; feminarum autem legitimas tutelas lex Claudia sustulit, excepta tutela patronorum. — 9. Legitima tutela capitis diminutione amittitur. — 10. Capitis diminutionis species sunt tres, maxima, media, minima. — 11. Maxima capitis diminutio est, per quam et civitas et libertas amittitur: veluti cum incensus aliquis venierit, aut quod mulier alieno servo se junxerit denuntiante domino, et ancilla facta fuerit ex senatusconsulto Claudiano. — 12. Media capitis diminutio dicitur, per quam sola civitate amissa libertas retinetur: quod fit in eo cui aqua et igni interdicitur. — 13. Minima capitis diminutio est, per quam et civitate et libertate salva status duntaxat hominis mutatur: quod fit adoptione et in manum conventione[1]. — 14. Testamento quoque nominatim tutores dati confirmantur eadem lege duodecim tabularum, his verbis: UTI LEGASSIT SUPER PECUNIA TUTELAVE SUÆ REI, ITA JUS ESTO; qui tutores dativi appellantur. — 15. Dari testamento tutores possunt liberis qui in potestate sunt. — 16. Testamento tutores dari possunt hi cum quibus testamenti faciendi jus est, præter latinum junianum; nam latinus habet quidem testamenti factionem, sed tamen tutor dari non potest: id enim lex Junia prohibet. — 17. Si capite diminutus fuerit tutor testamento datus, non amittit tutelam; sed si abdicaverit se tutela, desinit esse tutor. Abdicare autem est, dicere nolle se tutorem esse. In jure cedere autem tutela testamento datus non potest; nam et legitimus in jure cedere potest, abdicare se non potest. — 18. Lex Atilia jubet mulieribus pupillisve non habentibus tutores dari a prætore et majore parte tribunorum plebis, quos tutores Atilianos appellamus. Sed quia lex Atilia Romæ tantum locum habet, lege Julia et Titia prospectum est ut in provincia quaque similiter a præsidibus earum dentur tutores. — 19. Lex Junia tutorem fieri jubet latinæ vel latinis impuberibus, cum cujus etiam ante manumissionem ex jure quiritium fuit[2]. — 20. Ex lege Julia de maritandis ordinibus tutor datur a prætore urbis ei mulieri virginive, quam ex hacipsa lege nubere oportet, ad dotem dandam, dicendam promittendamve, si legitimum tutorem pupillum habeat. Sed postea senatus censuit, ut etiam in provincia quaque similiter a præsidibus earum ex eadem causa tutores dentur. — 21. Præterea etiam in locum muti furiosive tutoris alterum dandum esse tutorem ad dotem constituendam senatus censuit. — 22. Item ex senatusconsulto tutor datur mulieri ei cujus tutor abest, præterquam si patronus sit qui abest: nam in locum patroni absentis alter peti non potest, nisi ad hereditatem adeundam et nuptias contrahendas. Idemque permisit in pupillo patroni filio. — 23. Hoc amplius senatus censuit, ut, si tutor pupilli pupillæve suspectus a tutela submotus fuerit, vel etiam justa de causa excusatus, in locum ejus detur alius. — 24. Moribus tutor datur mulieri pupillove, qui cum tutore suo lege aut legitimo judicio agere vult, ut auctore eo agat (ipse enim tutor in rem suam auctor fieri non potest). Qui prætorianus tutor dicitur, quia a prætore urbis dari consuevit. — 25. Pupillorum pupillarumque tutores et negotia gerunt, et auctoritatem interponunt: mulierum autem tutores auctoritatem duntaxat interponunt. — 26. Si plures sunt tutores, omnes in omni re debent auctoritatem accommodare, præter eos qui testamento dati sunt[3]. Nam ex his vel unius auctoritas sufficit. — 27. Tutoris auctoritas necessaria est mulieribus quidem in his rebus, si lege aut legitimo judicio agant, si se obligent, si civile negotium gerant, si libertæ suæ permittant in contubernio alieni servi morari, si rem mancipi alienent. Pupillis autem hoc amplius etiam in rerum nec mancipi alienatione tutoris auctoritate opus est. — 28. Liberantur tutela masculi quidem pubertate. Puberem autem Cassiani quidem eum esse dicunt, qui habitu corporis pubes apparet, id est, qui generare possit; Proculeiani autem, eum qui quatuordecim annos explevit; verum Priscus eum puberem esse in quem utrumque concurrit, et habitus corporis, et numerus annorum. Feminæ autem tutela liberantur.....

TIT. XII.

DE CURATORIBUS.

1. Curatores aut legitimi sunt, id est, qui ex lege duodecim tabularum dantur: aut honorarii, id est, qui a prætore constituuntur. — 2. Lex duodecim tabularum furiosum, itemque prodigum cui bonis interdictum est, in curatione jubet esse adgnatorum. — 3. A prætore constituitur curator quem ipse prætor voluerit, libertinis prodigis, itemque ingenuis qui ex testamento parentis heredes facti male dissipant bona. His enim ex lege curator dari non poterat, cum ingenuus quidem non ab intestato, sed ei testamento heres factus sit patri; libertinus autem nullo modo patri heres fieri possit, qui nec patrem habuisse videtur, cum servilis cognatio nulla sit. — 4. Præterea dat curatorem ei etiam, qui nuper pubes factus idonee negotia sua tueri non potest.

TIT. XIII.

DE COELIBE, ORBO ET SOLITARIO PATRE.

1. Lege Julia prohibentur uxores ducere senatores quidem liberique

1 *Cod.* CONVERITUR.

1. *Cod.* et IN MANU CONDITIONE. — 2. *Cod.* ante manumissionem QUI JUS QUIRITIUM FUIT. — 3. *Cod.* qui TUNC dati sunt.

eorum, libertinas, et quæ ipsæ quarumve pater materve artem ludicram fecerit; item corpore quæstum facientem.— 2. Ceteri autem ingenui prohibentur ducere lenam, et a lenone lenave manumissam, et in adulterio deprehensam, et judicio publico damnatam, et quæ artem ludicram fecerit: adjicit Mauricianus, et a senatu damnatam.

TIT. XIV.

DE PŒNA LEGIS JULIÆ.

Feminis lex Julia a morte viri anni tribuit vacationem; a divortio, sex menses: lex autem Papia a morte viri, biennium; a repudio, annum et sex menses.

TIT. XV.

DE DECIMIS.

Vir et uxor inter se matrimonii nomine decimam capere possunt. Quod si ex alio matrimonio liberos superstites habeant, præter decimam quam matrimonii nomine capiunt, totidem decimas pro numero liberorum accipiunt. Item communis filius filiave, post nominum diem[1] amissus amissave, unam decimam adjicit: duo autem, post nominum diem amissi, duas decimas adjiciunt. Præter decimam etiam usumfructum tertiæ partis bonorum ejus capere possunt, et quandoque liberos habuerint, ejusdem partis proprietatem. Hoc amplius mulier, præter decimam, dotem petet[2] legatam sibi.

TIT. XVI.

DE SOLIDI CAPACITATE INTER VIRUM ET UXOREM.

1. Aliquando vir et uxor inter se solidum capere possunt: velut si uterque vel alteruter eorum nondum ejus ætatis sint a qua lex liberos exigit, id est, si vir minor annorum viginti quinque sit, aut uxor annorum viginti minor; item si utrique lege Papia finitos annos in matrimonio excesserint, id est, vir sexaginta annos, uxor quinquaginta; item si cognati inter se coierint usque ad sextum gradum; aut si vir absit, et donec abest et intra annum postquam abesse desierit, libera inter eos testamenti factio est; si jus liberorum a principe impetraverint, aut si filium filiamve communem habeant; aut quatuordecim annorum filium vel filiam duodecim amiserint, vel si duos trimos, vel tres post nominum diem amiserint: at intra annum tamen et sex menses etiam unus cujuscunque ætatis impubes amissus solidi capiendi jus præstat. Item si post mortem viri intra decem menses uxor ex eo pepererit, solidum ex bonis ejus capit.— 2. Aliquando nihil inter se capiunt, id est, si contra legem Juliam, Papiamque Poppæam contraxerint matrimonium: verbi gratia, si famosam quis uxorem duxerit, aut libertinam senator.— 3. Qui intra sexagesimum, vel quæ intra quinquagesimum annum neutri legi paruerit, licet ipsis legibus post hanc ætatem liberatus esset, perpetuis tamen pœnis tenebitur ex senatusconsulto Perniciano; sed Claudiano senatusconsulto major sexagenario, si minorem quinquagenaria duxerit, perinde habebitur ac si minor sexaginta annorum duxisset uxorem.— 4. Quod si major quinquagenaria minori sexagenario nupserit, impar matrimonium appellatur, et senatusconsulto Calvitiano jubetur non proficere ad capiendas hereditates et legata *et* dotes. Itaque mortua muliere, dos caduca erit.

TIT. XVII.

DE CADUCIS.

1. Quod quis sibi testamento relictum ita ut jure civili capere possit, aliqua ex causa non ceperit, caducum appellatur, veluti cecciderit ab eo: verbi gratia, si cœlibi vel latino juniano legatum fuerit, nec intra dies centum vel cœlebs legi paruerit, vel latinus jus quiritium consecutus sit; aut si ex parte heres scriptus vel legatarius ante apertas tabulas decesserit, vel pereger factus sit.— 2. Hodie ex constitutione imperatoris Antonini omnia caduca fisco vindicantur, sed servato jure antiquo liberis et parentibus.— 3. Caduca cum suo onere fiunt: ideoque libertates et legata *et* fideicommissa ab eo data, ex cujus persona hereditas caduca facta est, salva sunt: scilicet et legata et fideicommissa cum suo onere fiunt caduca...

1. *Al.* post NONUM diem. — 2. Sic vulgo. *Cod. et Hugo:* POTEST.

TIT. XVIII.

QUI HABEANT JUS ANTIQUUM IN CADUCIS.

1. Item liberis et parentibus testatoris, usque ad tertium gradum, lex Papia jus antiquum dedit: ut heredibus illis institutis, quod quis ex eo testamento non capit, ad hos pertineat aut totum aut ex parte, prout pertinere possit.

TIT. XIX.

DE DOMINIIS ET ADQUISITIONIBUS REBUM.

1. Omnes res aut mancipi sunt, aut nec mancipi. Mancipi res sunt prædia in italico solo, tam rustica[1], qualis est fundus, quam urbana, qualis domus; item jura prædiorum rusticorum, velut via, iter, actus, aquæductus; item servi, et quadrupedes quæ dorso collove domantur, velut boves, muli, equi, asini. Ceteræ res nec mancipi sunt. Elephanti et cameli, quamvis collo dorsove domentur, nec mancipi sunt, quoniam bestiarum numero sunt.— 2. Singularum rerum dominia nobis adquiruntur mancipatione, traditione, usucapione, in jure cessione, adjudicatione, lege.— 3. Mancipatio propria species alienationis est et rerum mancipi: eaque fit certis verbis, libripende et quinque testibus præsentibus.— 4. Mancipatio locum habet inter cives romanos, et latinos colonarios, latinosque junianos, eosque peregrinos quibus commercium datum est.— 5. Commercium *est* emendi vendendique invicem jus.— 6. Res mobiles non nisi præsentes mancipari possunt, et non plures quam quot manu capi possunt; immobiles autem, etiam plures simul, et quæ diversis locis sunt, mancipari possunt.— 7. Traditio propria est alienatio rerum nec mancipi. Harum rerum dominia ipsa traditione adprehendimus, scilicet si ex justa causa traditæ sunt nobis.— 8. Usucapione dominia adipiscimur, tam mancipi rerum, quam nec mancipi. Usucapio est autem dominii adeptio per continuationem possessionis anni vel biennii: rerum mobilium anni, immobilium biennii.— 9. In jure cessio quoque communis alienatio est, et mancipi rerum, et nec mancipi; quæ fit per tres personas, in jure cedentis, vindicantis, addicentis.— 10. In jure cedit dominus, vindicat is cui ceditur, addicit prætor.— 11. In jure cedi res etiam incorporales possunt, velut usufructus, et hereditas, et tutela legitima libertæ.— 12. Hereditas in jure ceditur, vel antequam adeatur, vel posteaquam adita fuerit.— 13. Antequam adeatur, in jure cedi potest legitimo[2] ab herede; posteaquam adita est, tam a legitimo quam ab eo qui testamento heres scriptus est.— 14. Si antequam adeatur hereditas in jure cessa sit, perinde heres fit, cui cessa est, ac si ipse heres legitimus esset. Quod si postea quam adita fuerit, in jure cessa sit, is qui cessit, permanet heres et ob id creditoribus defuncti manet obligatus; debita vero pereunt, id est, debitores defuncti liberantur.— 15. Res autem corporales, quoties[3] singulæ in jure cessæ sunt, transeunt ad eum cui cessa est hereditas.— 16. Adjudicatione dominia nanciscimur per formulam familiæ erciscundæ, quæ locum habet inter coheredes; et per formulam communi dividundo, cui locus est inter socios; et per formulam finium regundorum, quæ est inter vicinos. Nam si judex uni ex heredibus aut sociis aut vicinis rem aliquam adjudicaverit, statim illi adquiritur, sive mancipi sive nec mancipi sit.— 17. Lege nobis adquiritur, velut caducum vel ereptorium ex lege Papia Poppæa; item legatum ex lege duodecim tabularum, sive mancipi res sint sive nec mancipi.— 18. Adquiritur autem nobis etiam per eas personas quas in potestate, manu, mancipiove habemus. Itaque si quid, mancipio puta, acceperint, aut traditum eis sit, vel stipulati fuerint, ad nos pertinet.— 19. Item si heredes instituti sint, legatumve eis sit, et hereditatem jussu nostro adeuntes nobis adquirunt, et legatum ad nos pertinet.— 20. Si servus alterius in bonis, alterius ex jure quiritium sit, ex omnibus causis adquirit ei cujus in bonis est.— 21. Is quem bona fide possidemus, sive liber sive alienus servus sit, nobis adquirit ex duabus causis tantum, id est, quod ex re nostra et quod ex operis[4] suis adquirit. Extra has autem causas, aut sibi adquirit, si liber sit; aut domino, si alienus servus sit. Eadem sunt et in eo servo, in quo tantum usumfructum habemus.

TIT. XX.

DE TESTAMENTIS.

1. Testamentum est mentis nostræ justa contestatio, in id solemniter facta, ut post mortem nostram valeat.— 2. Testamentorum genera fuerunt tria, unum quod calatis comitiis, alterum quod in procinctu, tertium quod

1. *Cod.* AUT RUSTICO. — 2. *Cod.* LEGITIME. — 3. *V.* Gaium, 2 *inst.* 55. *in fin.* — 4. *Cod.* OPERIBUS.

per æs et libram appellatum est. Illis duobus testamentis abolitis, hodie solum in usu est, quod per æs et libram fit, id est, per mancipationem imaginariam: in quo testamento libripens adhibetur, et familiæ emptor, et non minus quam quinque testes cum quibus testamenti factio est.— 3. Qui in potestate testatoris est, aut familiæ emptoris, testis aut libripens adhiberi non potest; quoniam familiæ mancipatio inter testatorem et familiæ emptorem fit, et ob id domestici testes adhibendi non sunt.— 4. Filiofamiliæ emente, pater ejus testis esse non potest.— 5. Ex duobus fratribus qui in eadem patris potestate sunt, alter familiæ emptor, alter testis esse non potest; quoniam quod unus ex his mancipio accipit, adquirit patri, cui filius suus testis esse non debet.— 6. Pater, et qui in potestate ejus est constitutus, duo fratres qui in ejusdem patris potestate sunt, testes utrique, vel alter testis alter libripens fieri possunt, alio familiam emente; quoniam nihil nocet ex una domo plures testes alieno negotio adhiberi.— 7. Mutus, surdus, furiosus, pupillus, femina, neque familiæ emptor esse, neque testis libripensve fieri potest.— 8. Latinus junianus et familiæ emptor et testis et libripens fieri potest, quoniam cum eo testamenti factio est.— 9. In testamento quod per æs et libram fit, duæ res aguntur: familiæ mancipatio, et nuncupatio testamenti. Nuncupatur testamentum in hunc modum; tabulas testamenti testator tenens ita dicit: HÆC UT IN HIS TABULIS CERISVE SCRIPTA SUNT, ITA DO, ITA LEGO, ITA TESTOR; ITAQUE VOS, QUIRITES, TESTIMONIUM PERHIBETOTE. Quæ nuncupatio et testatio vocatur.— 10. Filiusfamiliæ testamentum facere non potest, quoniam nihil suum habet, ut testari de eo possit. Sed divus Augustus Marcus constituit, ut filiusfamiliæ miles de eo peculio quod in castris adquisivit, testamentum facere possit.— 11. Qui de statu suo incertus est (fac ita[1], quod patre peregre mortuo ignorat se sui juris esse), testamentum facere non potest.— 12. Impubes, licet sui juris sit, facere testamentum non potest, quoniam nondum plenum judicium animi habet.— 13. Mutus, surdus, furiosus, itemque prodigus cui lege bonis interdictum est, testamentum facere non possunt: mutus, quoniam verba nuncupationis loqui non potest; surdus, quoniam verba familiæ emptoris exaudire non potest; furiosus, quoniam mentem non habet, ut testari de sua re possit; prodigus, quoniam commercio illi interdictum est, et ob id familiam mancipare non potest.— 14. Latinus junianus, item is qui dedititiorum numero est, testamentum facere non potest: latinus quidem, quoniam nominatim lege Junia prohibitus est; is autem qui dedititiorum numero est, quoniam nec quasi civis romanus testari potest, cum sit peregrinus, nec quasi peregrinus quoniam nullius certæ civitatis *civis est*[2], ut adversus leges civitatis suæ testetur.— 15. Feminæ post duodecimum annum ætatis testamenta facere possunt, tutore auctore, donec in tutela sunt.— 16. Servus publicus *populi romani* partis dimidiæ testamenti faciendi habet jus.

TIT. XXI.

QUEMADMODUM HERES INSTITUI DEBEAT.

1. Heres institui recte potest his verbis: TITIUS HERES ESTO, TITIUS HERES SIT, TITIUM HEREDEM ESSE JUBEO. Illa autem institutio, HEREDEM INSTITUO, HEREDEM FACIO, plerisque improbata est.

TIT. XXII.

QUI HEREDES INSTITUI POSSINT.

1. Heredes institui possunt, qui testamenti factionem cum testatore habent.— 2. Deditiorum numero heres institui non potest; quia peregrinus est, cum quo testamenti factio non est.— 3. *Latinus junianus*, siquidem mortis testatoris tempore, vel intra diem cretionis, civis romanus sit, heres esse potest. Quod si latinus manserit, lege Junia capere hereditatem prohibetur. Idem juris est in persona cœlibis, propter legem Juliam.— 4. Incerta persona heres institui non potest, velut hoc modo: QUISQUIS PRIMUM AD FUNUS MEUM VENERIT, HERES ESTO; quoniam certum consilium debet esse testantis.— 5. Nec municipia nec municipes heredes institui possunt, quoniam incertum corpus est, ut neque cernere universi, neque pro herede gerere possint[3] ut heredes fiant. Senatusconsulto tamen concessum est, ut a libertis suis heredes institui possint. Sed fidei commissa hereditas municipibus restitui potest: deque hoc senatusconsulto prospectum est.

6. Deos heredes instituere non possumus, præter eos quos senatusconsulto, constitutionibus principum instituere concessum est; sicuti Jovem Tarpeium, Apollinem Didymæum, sicuti Martem in Gallia, Minervam Iliensem[1], Herculem Gaditanum, Dianam Ephesiam, Matrem Deorum Sipelensim quæ Smyrnæ colitur, et cœlestem Salinensem Carthaginis.— 7. Servos heredes instituere possumus, nostros cum libertate, alienos sine libertate, communes cum libertate vel sine libertate.

8. Eum servum qui tantum in bonis noster est, nec cum libertate heredem instituere possumus, quia latinitatem consequitur, quod non proficit ad hereditatem capiendam.— 9. Alienos servos heredes instituere possumus, eos tantum[2] quorum cum dominis testamenti factionem habemus.— 10. Communis servus cum libertate recte quidem heres instituitur, quasi proprius, pro parte nostra; sine libertate autem, quasi alienus, propter socii partem.— 11. Proprius servus cum libertate heres institutus, siquidem in eadem causa permanserit, ex testamento liber et heres fit, id est, necessarius.— 12. Quod si ab ipso testatore vivente manumissus vel alienatus sit, suo arbitrio vel jussu emptoris hereditatem adire potest. Sed si sine libertate sit institutus, omnino non consistit institutio.— 13. Alienus servus heres institutus, siquidem in ea causa permanserit, jussu domini debet hereditatem adire. Quod si vivo testatore manumissus aut alienatus a domino fuerit, aut suo arbitrio aut jussu emptoris poterit adire hereditatem.— 14. Sui heredes instituendi sunt, vel exheredandi. Sui autem heredes sunt liberi quos in potestate habemus, tam naturales quam adoptivi; item uxor quæ in manu est, et nurus quæ in manu est filii quem in potestate habemus.— 15. Postumi quoque liberi, id est, qui in utero sunt, si tales sunt ut nati in potestate nostra futuri sint, suorum heredum numero sunt.— 16. Ex suis heredibus filius quidem neque heres institutus, neque nominatim [quo] exheredatus, non patitur valere testamentum.— 17. Reliquæ vero personæ liberorum, velut filia, nepos neptis, si præteritæ sint, valet testamentum; scriptis heredibus adcrescunt, suis quidem heredibus in partem virilem, extraneis autem in partem dimidiam.— 18. Postumi quoque liberi cujuscunque sexus omissi, quod valuit testamentum, adgnatione rumpunt.— 19. Eos qui in utero sunt, si nati sui heredes nobis futuri sunt, possumus instituere heredes: si quidem post mortem nostram nascantur, ex jure civili; si vero viventibus nobis, ex lege Julia.— 20. Filius qui in potestate est, si non instituatur heres, nominatim exheredari debet; reliqui sui heredes utriusque sexus, aut nominatim aut inter ceteros.— 21. Postumus filius nominatim exheredandus est: filia postuma ceteræque postumæ feminæ, vel nominatim vel inter ceteros, dummodo inter ceteros exheredatis aliquid legetur.— 22. Nepotes et pronepotes, ceterique masculi postumi præter filium, vel nominatim, vel inter ceteros cum adjectione legati sunt exheredandi; sed tutius est tamen nominatim eos exheredari, et id observatur magis.— 23. Emancipatos liberos, quamvis jure civili[3] neque heredes instituere neque exheredare necesse sit, tamen prætor jubet, si non instituantur heredes, exheredari, masculos omnes nominatim, feminas *vel nominatim* vel inter ceteros; alioquin contra tabulas bonorum possessionem eis pollicetur.— 24. Inter necessarios heredes, id est, servos cum libertate heredes scriptos, et suos et necessarios, id est, liberos qui in potestate sunt, jure civili nihil interest; nam utrique etiam inviti heredes sunt. Sed jure prætorio suis et necessariis heredibus abstinere se a parentis hereditate permittitur; necessariis autem tantum heredibus abstinendi potestas non datur.— 25. Extraneus heres, si quidem cum cretione sit heres institutus, cernendo fit heres; si *vero*[4] sine cretione, pro herede gerendo.— 26. Pro herede gerit, qui rebus hereditariis tanquam dominus utitur, velut qui auctionem rerum heredi tariarum facit, aut servis hereditariis cibaria dat.— 27. Cretio est certorum dierum spatium quod datur instituto heredi ad deliberandum, utrum expediat ei adire hereditatem, necne, velut: TITIUS HERES ESTO, CERNITOQUE IN DIEBUS CENTUM PROXIMIS QUIBUS SCIERIS POTERISQUE; NISI ITA CREVERIS, EXHERES ESTO.— 28. Cernere, est verba cretionis dicere ad hunc modum: CUM [ID] *me* MÆVIUS HEREDEM INSTITUIT, EAM HEREDITATEM ADEO CERNOQUE.— 29. Sine cretione heres institutus, si constituerit nolle se heredem esse, statim excluditur ab hereditate, et amplius eam adire non potest.— 30. Cum cretione vero heres institutus, sicut cernendo fit heres ita non aliter excluditur quam si intra diem cretionis non creverit. Ideoque etiam si constituerit nolle se heredem esse, tamen si supersint dies cretionis, pœnitentia actus cernendo heres fieri potest.— 31. Cretio aut vulgaris dicitur, aut continua: vulgaris, in qua adjiciuntur hæc verba, QUIBUS SCIERIS POTERISQUE; continua, in qua non adjiciuntur.— 32. Ei qui vulgarem cretionem habet, dies illi tantum computantur[5], quibus scivit se heredem institutum esse, et potuit cernere. Ei vero qui continuam habet cretionem, etiam illi dies computantur, quibus ignoravit se heredem institutum, aut scivit quidem, sed non potuit cernere.— 33. Heredes aut instituti dicuntur, aut substituti: *in-*

1. *Cod.* FACTIO. *Vulgo:* FACITO. — 2. *Cod.* civitatis SCIERS, ut. — 3. *Cod.* neque pro HERE... DE herede CERNERE POSSUNT.

1. *Cod.* MILIENSEM. — 2. *Cod.* TAMEN. — 3. *Cod.* MANCIPATOS liberos .. QUI IN RE civili. — 4. *Cod.* HEREDE; SIVE sine. — 5. *Cod.* illi DENTUR computantur.